Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 399
Quelle:
Copyright:

II. *fol.* 16. p. 2. *Compilacio Ex prophetiis ioachim abbatis.* Initium: *Quod factum est uerbum domini ad Jeremiam temporibus siccitatis.* Textus Prophetae c. 14. v. 1. habet *de sermonibus siccitatis.* Contuli, quae commentatus est *Joachim* in haec verba, ex Edit. *Veneta* 1525. 4. *fol.* 27. et nihil eorum reperi, quae in Codice nostro sequuntur: *Mistice aquarum siccitas designat exterminium populorum* &c. Neque per decursum quidquam cum Editis coincidit. Unde ergo haec compilata dicemus? In *Isaiae* C. 30. v. 6. haec lego: *Regina fuit leena. Gwillermus primus leo. secundus uipera. heres tuus regulus uolans. Regulus in regno. uolans ad imperium.* Haec de Sicilia. *Si uero terra tribulacionis Alemannia. Leena fuit rex primus Heinricus Alemannorum. leo fridericus. Vipera tu es Heinricus* (VI). *regulus heres tuus* (Fridericus II.) *Et nota quod inter te et heredem tuum tam regnum* (Siciliae) *quam imperium passurum est aborsum, quia necessarium est, ut tam ad regnum quam ad imperium surgat aliquis hinc et inde, ut more uipere parturientis uel uiparientis filii ecclesie latera matris rumpant.* Qui surrexerunt *hinc et inde*, videri possint hinc *Marcualdus Romaniae* Dux, inde *Philippus Suevus* et *Otto Saxo.* An haec in aliquo editorum *Joachimi* Operum delitescant, ignoro; non enim lubet minutim excutere Prophetam, qui *Sibyllam entheam* et *Merlinum Silvestrum* seu *Cambricum* vades dat.

III. *fol.* 21. p. 2. *Incipit prefatio super dicta Methodii episcopi et martiris. fuerunt autem ei hec reuelata a domino in carcere posito.* Nil aliud est haec Praefatio, quam *Caput 83. Hier. de Viris illustr.* mendose scriptum, in quo ne γεῦ quidem de Vaticiniis, de quorum vanitate jam *Vol.* I. non semel memini. Recte Poeta:

Prudens futuri temporis exitum
Caliginosa nocte premit Deus.

IV. *fol.* 25. *Incipit uisio cujusdam militis de penis.* Gemina Visionibus *Tundali* et *Georgii Hungari* pluries a me relatis incipit: *Anno dominice incarnationis M°. CC°. XXXV°. Regnante domino Fridrico Secundo rom. imper. Ego indignus nominari et peccator Intempeste noctis silentio factus quasi in extbasi vidi quendam hominem qui apprehenso brachio meo sinistro eleuauit me de terra et duxit me per regionem frigidissimam densi aeris* &c. Inter alia Descriptio *Arboris diuersarum penarum.*

V. *fol.* 26. ἀδέσποτος Commentarius in *Apocalypsin.* Init: *Apokalipsis ihesu christi quam dedit* &c. *Nunquid ad preceptum tuum levabitur aquila* &c. Et in exponendo hoc *Jobi* C. 39. v. 26—30. loco versatur prior Praefatio. Altera incipit: *Omnes qui pie uolunt uiuere* &c. nec tamen est *Gilberti*

Por-